

## CHRONICA VARIA

114

113

Antennas, quæ vela ferant, quod gestet easdem  
Arboreum robur, celsæ tribuere Mucellæ. /  
Ceditur omne nemus, cefum descendit ad undas.  
Hoc varie sunt diverso robore naves,  
Gætti, Drumânes, Garabi, celeresque galæpe,  
Barcæ, currabii, lintres, grandesque saginæ,  
Et plures aliæ variantes nomina naves.  
His portantur equi; sunt quædam victibus aptæ,  
Ingentes aliæ possunt portare catervas;  
Servitiis norunt, possuntque subesse minores.  
Hæ nūmquæ metuunt vicinas tangere terras,  
Adducunt latices, homines ad littora vectant.  
Ima galearum juvem fuit apta lacertis:  
Harum quamque solent centū propellere remi,  
Ordine quæ bino plana nituntur in unda,  
Et freta fidentes fugiunt sic atque seqvuntur,  
Ut celeres capreas, & aves superare volantes  
Veloci valeant undosa per æquora cursu.  
Ligni materies non solum congrua classi;  
Hinc etenim turres, pontes, scalæque geruntur,  
Cum quibus excelsos invadant agmina muros.  
Hinc quoq; quæ magnas mittant in mœnia moles,  
Exagitant, rumpantq; domos, tormenta parantur.  
Hinc ballista minax, aries, testudo petuntur.  
Sicque per innumeros lignum distenditur usus.  
Nec cessant fabri, ferrum consumitur Alÿpe.  
Inde rates quod iugat habet, hinc arma refulget,  
Thoraces, rigidi gladii, celeresque sagittæ,  
Quod quia diversis rebus facit, officiisque/  
Mille, per artifices vario distinguitur actu.  
Nec vacat officium, depingunt arma colores,  
Resplendent galeæ, clÿpei, sellæque relucunt,  
Impositumq; super cum gemmis prænit aurum.  
Interea veniunt quidam de gente remota,  
Romaque cum Luca mittit solatia pugnæ.  
Auxilium bello Genuensis sola negavit  
Patria, quæcumque potest Pisanos impedit actus.  
O satis eximio felix Antonia patre.  
Nempe tuæ regionis hero generaliter urbis  
Cura datur patriæ, qui pellat, & arceat hostes.  
Denique perfæcta naves mittuntur in undas.  
Accipit has Sarnus Græco vocitatus ab amne  
Alphæus, cui Pisa vetus nunc lapsa coheret,  
Ex qua Pisanus, qui Pisæ condidit istas,  
Italiæ Fluvio nomen donavit, & Urbi.  
Hinc propria puppes quæque statione ligantur,  
Implenturque cibis, & equis, armisque virisque,  
Et dantur ratibus certissima signa quibusque,  
Ac vexilliferi per turmas atque cohortes.  
Istorum virtus populis bene nota Latinis.  
Credidit ad bellum facili conducere cursu  
Agmina. Decipiunt mortalia pectora curæ,  
Quodq; putat quisquam, vix perficietur ab ipso;  
Consilii hominum quoniam fortuna repugnat,  
Atque malis factis alicuius ponere finem  
Ante siuum tempus non vult divina voluntas.  
Temporibus sata quæq; virent, & tēporis albent  
Articulo, cunctis data sunt sua tempora rebus.  
Temporis ordo monet, naturæ postulat usus,  
Ne, nisi maturi rapiantur ab arbore fructus.  
Seq; Dominus qui cuncta potest, sunt subdita queq;  
Et quodcumque bonum nutu distinguuntur ejus,  
Cujus amore suos cognatos, atque parentes,  
Divitias, patriam Pisanos deseruere.

Jamque dies aderat Sancti celeberrima Sixti,  
In qua Pisani de Pénis Marte subactis  
Annales recolunt votiva laude triumphos,  
Quando per Alphæi fluctus populosq; natabat  
Classis, & ad fauces limosi fluminis aristas  
Convenere rates, sed cùm transire nequirent,  
Tentantes aditus albentis in ore fluenti  
Exornare suas escis armisque carinas  
Cœperunt. Post hec spatiofa per æquora nautæ

A Direxere viam, terris post terga relicta  
Cernentes placidam fixis obtutibus urbem,  
Divinæ curæ sua mœnia, rura, penates,  
Uxores, patriam, natorum pignora mandant. Cumque  
Dumq; rates abeunt, plorant in litore matres;  
Plorant lacrymis bibulæ satiantur arenæ.  
Pectus ad usq; parens vitreas descendit in undas,  
Et verbis placidis benedic in æquore natum.  
Hæc pro patre rogit, pro fratribus, atq; maritis  
Immensos aliæ fundunt in litore questus.  
Non aliter Grajos flevisse feruntur Achivæ,  
Pergama quādo rates Danaæ violenta petebant,  
Et non desistunt precibus miscere querelas,  
Æolia ventus donec progressus ab aula  
Visibus albreptos spatiofa per æquora vexit.  
Stagnea planities à leva parte relicta,  
Atq; Liburnus erant, dextræ Gorgona remansit,  
Monteq; cum nigro, vada, seu Populonica tellus  
Effugiunt visus, dum ventus in æquore perflat.  
Corticæ sub velis fuerat, Capraria tergo,  
Ilfa, & Planus positis in parte sinistra.  
Dumq; favent venti, Tauro post terga relicta,  
Adveniunt Langona rates, linguntque lebetes,  
Et retinent portum dictum de nomine sanctæ,  
Quæ Reparata vocant, muros, templumq; vetustu  
Erecti lapides, scopulosaque littora monstrant.  
Hosque sinus exire parant, pariterq; resumunt  
Torræ aditus, ubi Constantinus habebat  
Sedes, Rex clarus multum celebratus ab omni  
Sardorum populo, bis sex geminisque diebus  
Oppiendo fuos sibi gens Pisana moratur.  
Inde sinu repetunt, quem vulgo fert Caput albū,  
Scilicet ob nullum trepidantia littora ventum.  
Iltic Duffbinus Pisani associatur, Turbinius  
Qui quondam regnum censebat Calaritanum,  
Et Constantino Saltarus judice natus;  
Prævalet hic jaculo, præclaris sensibus ille.  
More pari Danaos Hecateia suscipit Aulis,  
Cùm fuerat Phrygios Menelaus iturus in hostes.  
Civibus hic Præful multum de pace loquutus  
Plurima per paucos incassum semina fudit,  
Sed tamen è multis fructum percepit eorum.  
Tunc Passarino committunt Alphero loque  
Prævia signa maris patres comiuniter omnes,  
Hosque sequi nautæ, sed & observare jubentur.  
Jussa patrū contempta jacent, convertitur ordo;  
Quisquis enim potuit celeri transcurrere ligno  
Ostendit sociis velis, & remige puppes.  
Jam geminis lapsis gemina cum nocte diebus,  
Tertia lux iverat, nox & jam cœperat esse  
Tertia, Septembri vicinior illa Kalendis  
Non fuerat nisi postera, quæ sibi forte secunda  
Expectabatur, nec ea tenebrosior ulla  
Circumquaq; tonat, sed & undiq; crebra coruscat  
Fulgura, turbari nautas, reliquoque videres,  
Qui nondum rabidi bene norant æquoris usum.  
Sidera nulla patent oculis, solosque micantes  
Nautæ cernebant accensos puppibus ignes.  
Non Laërtæ satus foret in terroribus iitis  
Intrepidus, Circes quamvis superaverit artes,  
Si fortuna ducem fluctus duxisset in istos.  
Arbitrium cujusque fuit miserabile tempus  
In tempestatis transcurrere sœva pericla.  
Sed Dominus solitus propriis succurrere servis,  
Justitiæ semper qui salvat, & auget amantes,  
Firmavit Boreæ placidos super æquora flatus,  
Qui tota leni portarunt æquore nocte  
Naves, mox pulsis tenebris subiere micantes  
Stellæ, nox abiit, præclari forma diei  
Subsequitur, celeri classis levitate cucurrit,  
Ac crescente die cœperunt cernere terras  
Hispanas, sed eas Baleares esse putabant,  
Blandensi donec committitur anchora ripæ.  
Has